

# DECAS ARANEARUM

in ins. Singapore a Cel. Th. Workman inventarum

SCRIPSIT

T. THORELL

Fam. PSECHROIDÆ (1).

Gen. **PSECHRUS**, Thor., 1878.

1. *P. Singaporensis*, n., *cephalothorace in fundo nigro, fasciis tribus longitudinalibus parallelis testaceo-fuscis ornato: duabus supra-marginalibus sat latis, tertia media angustiore, pedibus fusco-testaceis, dense nigro-annulatis, saltem versus basin subter plus minus albo-pubescentibus, 1.<sup>o</sup> paris pedibus cephalothorace circa 10.plo longioribus; abdome sub-cylindrato, circa triplo longiore quam latiore, supra in fundo saltem posterius nigro, et antice fascia pallidiore sub-lanceolata notato, pube sub-fusca saltem ad partem vestito; ventre rufesceni-ferugineo, fascia media longitudinali nigra ornata, quae lineâ albâ geminata est. — ♀ ad. Long. circa 11 millim.*

FEMINA. — *Cephalothorax æque longus ac tibia 3.<sup>o</sup> paris, circa dimidio longior quam latior, anguste et inverse ovatus fere, utrinque anterius fortiter sinuato-angustatus, parte ceph-*

(1) De hac familia vid. Simon, H. N. d. Araignées, 2.<sup>e</sup> Ed., I, p. 228.

lica longa lateribus rectis anteriora versus paullo angustata, clypeo dimidia parte thoracica evidenter paullo angustiore, fronte fortissime rotundata et prominente etiam paullo angustiore. Impressiones cephalicæ distinctissimæ sunt, sulcus ordinarius centralis longus et fortissimus. Dorsum a latere visum a declivitate postica leni et sat brevi usque ad oculos medios posticos sensim assurgit, pæne rectum, modo in medio paullo depresso; area oculorum mediorum proclivis est, clypeus paullo reclinatus. Facies æque fere alta ac lata, supra convexa, lateribus valde prærupte declivibus; spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos longitudinem areæ oculorum mediorum pæne æquat, diametro horum oculorum circa triplo majus. *Oculi* magni, pæne æquales, medii antici tamen lateralibus anticis evidenter paullo minores. Series oculorum postica dupla oculi lateralis postici diametro longior est quam antica, quæ a fronte visa sat fortiter deorsum curvata est: linea recta laterales oculos supra tangens medios in centro secat. Desuper visæ ambæ series modice recurvæ sunt. Area oculorum mediorum non parum longior quam latior, et non parum latior postice quam antice. Oculi medii postici, spatio eorum diametrum pæne æquante separati, a lateralibus posticis pæne æque longe atque inter se remoti sunt. Oculi medii antici, spatio diametro sua evidenter minore sejuncti, a lateralibus anticis spatio modo parvo, saltem duplo minore quam quo inter se distant, separati sunt. Spatia quibus medii antici a mediis posticis distant oculi medii antici diametro circa dimidio majora sunt et paullo majora quam spatium inter oculos binos laterales. *Sternum* breviter triangulo-ovatum, postice acuminatum sed vix inter coxas 4.<sup>i</sup> paris, quæ spatio modo parvo sunt sejunctæ, productum.

*Mandibulae* circa triplo longiores quam latiores, femoribus anticis paullo crassiores. *Pedes* longissimi, 3.<sup>ii</sup> paris tamen duplo breviores quam 1.<sup>i</sup> paris, qui cephalothorace circa 10. plo longiores sunt. Pube tenui vestiti et aculeis crebris mediocribus armati sunt pedes: tarsi longi sed metatarsis breviores,

curvati et apice sub-incrassati. Calamistrum non multo longius est quam spatium quo a basi metatarsi distat. *Abdomen* longum et angustum, sub-cylindratum. *Vulva* ex area pallida nitida constat, quæ posterius foveas duas oblongas pæne parallelas in fundo nigras ostendit, his foveis nigris lineola brevi nigra ab apice earum postico ad plicaturam genitalem ducta continuatis. *Mamillæ* inferiores vix longiores sed non parum crassiores quam superiores, sub-conicæ, paullo longiores quam latiores basi, art. 2.<sup>o</sup> brevissimo et obtusissimo; *mamillæ* superiores sub-cylindratae sunt, art. 2.<sup>o</sup> parvo, conico, saltem æque longo ac lato basi.

\* *Color.* — *Cephalothorax* in fundo niger, fascia media longitudinali angusta et fasciis duabus sat latis parallelis supramarginalibus testaceo-fuscis notatus; area oculorum quoque pallidior est, clypeus in medio late sub-testaceus. Pube tenui appressa pallide fusca vestitus est cephalothorax, inter oculos vero et in clypeo (saltem in medio, superius) albo-pubescentes. *Sternum* et *labium* fuligineo-nigra, illud pilis longis erectis nigris conspersum et margine angusto albo e pube formato in lateribus cinctum. *Mandibulæ* testaceo-fuscæ, nigro-pilosæ. *Maxillæ* magis nigricantes. *Palpi* fusco-testacei, paullo nigricantannulati, parte femorali subter et extus albo-pubescenti. *Pedes* quoque fusco-testacei, dense nigro-annulati, annulis ad partem in maculas divulsis: femora annulos 5, patellæ 1 (apicalem), tibiæ 4, metatarsi saltem 1 (apicalem) habent. Coxæ ad magnam partem nigricantes sunt, macula una alterave parva alba e pube formata versus basin et apicem; etiam subter in femoribus et patellis hic illis vestigia pubescentiæ albæ adsunt. Præterea pedes pube tenui nigricante vestiti fuisse videntur; pili et aculei eorum fusi vel nigri sunt. Color *abdominis* supra in exemplo nostro sub-corrugato non multo distinctus est: dorsum ejus in fundo posterius nigrum est, anterius pallidior videtur, vestigiis fasciæ longitudinalis pallidioris sub-lanceolatae a basi fere ad medium pertinentis, quæ utrinque serie lineolarum paucarum nigrarum definita est; pube tenui sub-testacea

vel fusca vestitum est dorsum, antice etiam albicanti-pubescent. Latera abdominis maculis parvis albo-flaventibus variata sunt, quæ inferius in lineas longitudinales sunt confusæ; in apice laterum, paullo ante mamillas, macula parva sub-lunata albo-flavens conspicitur. Venter hoc modo pictus est (pictura e pube densa formata): secundum medium fasciam longam sat latam nigram ostendit, quæ linea alba (ab area vulvæ testacea interrupta et non plane usque ad cibellum pertinente) geminata est: hæc fascia nigra utrinque, pone plicaturam genitalem, fascia lata rufesceni-ferruginea est limbata. Scuta pulmonalia postice et extus albo-marginata. Mamillæ superiores nigrae, inferiores pallide fuscæ.

Lg. corp. 11; lg. cephaloth.  $4 \frac{2}{3}$ , lat. ej.  $3 \frac{1}{2}$ , lat. clyp.  $1 \frac{1}{2}$ ; lg. abd. paullo plus 7, lat. ej. 2 millim. Ped. I  $88 \frac{1}{3}$ , II  $27 \frac{3}{4}$ , III  $19 \frac{1}{2}$ , IV  $30 \frac{2}{3}$ ; pat. + tib. IV 9 millim.

Feminam singulam vidi. Parum nisi statura multo minore et pedibus longioribus et dense nigro-annulatis a *P. argentato* (Dol.) (1) differt hæc species.

Fam. LYCOSOIDÆ.

Gen. HYGROPODA (2), n.

(= *Dendrolycosa*, Thor. (*non* Dol.), olim).

2. *H. prognatha*, n., *cephalothorace sordide fusco, fasciis longitudinalibus tribus latis parallelis pallidioribus notato, quarum media lineâ obscurâ plus minus evidenti geminata est, la-*

(1) Bijdr. tot de Kennis der Arachn. v. d. Indischen Archipel, in Natuurkundig Tijdschr. van Nederlandsch Indie, XIII (Ser. 2, III), p. 399; Tweede Bijdr., cet., in Verhand. der Natuurkund. Vereen. in Nederl. Indie (Acta Soc. Scient. Indo-Néerländicæ, V, p. 49, Tab. VIII, fig. 9 (*Tegenaria argentata*)); — conf. Thor., Studi, cet., II, Ragni di Amboina, cet., in Ann. del Museo Civ. di Storia Nat. di Genova, XII, p. 171.

(2) ὑγρός, mollis; πούς, pes. — Typum hujus generis *H. prognatham*, n., eligo, quum non tantum femina, verum etiam mas ad. hujus speciei mihi cognitus sit.

terales supra-marginales et in marginibus paullo undulatæ; palpis pedibusque testaceis, his paullulo nigro-annulatis, longissimis, 3.<sup>ii</sup> paris exceptis, qui pedibus 1.<sup>i</sup> paris pæne triplo breviores sunt; tarsis, 3.<sup>ii</sup> paris exceptis, longis et flexibilibus sed metatarso brevioribus; abdomine cylindrato-ovato, dorso obscure fusco utrinque fascia pallida in margine superiore undulatodentata limitata et antice fascia longitudinali abbreviata sublanceolata pallide fusca notato, quæ lineâ fuscâ utrinque est marginata, hac figura fasciis duabus angustis inæqualibus cinerascentibus (ad medium ejus macula nigra interruptis) inclusa, quæ pone eam in fasciam singulam, lineâ fuscâ geminatam, retro productæ sunt; vulva ex fovea mediocri ovata constante, quæ in utroque margine, postice, tuberculum minutum nigrum ostendit; mandibulis maris longis, sub-porrectis, basi excepta incurvis, densissime hirsutis; palpis maris saltem longitudine corporis. — ♂ ♀ ad. Long. ♂ circa 9, ♀ circa 10  $\frac{1}{2}$  millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* parum longior quam tibia cum patella 3.<sup>ii</sup> paris, metatarsum cum tarso hujus paris, vel tarsum 4.<sup>i</sup> paris, longitudine circiter æquans, circa  $1\frac{1}{3}$  longior quam latior, antice ante coxas  $1\frac{1}{3}$  paris sat fortiter angustato-sinuatus, parte cephalica lateribus brevibus et rectis anteriora versus paullulo angustata, antice pæne truncata vel modo levissime rotundata, clypeo dimidiā partem thoracicam latitudine paullo superante. Impressiones cephalicæ distinctæ sunt, sulcus ordinarius centralis longus et fortis. Ipsum dorsum cephalothoracis humilis in medio paullo depresso est, ante et præsertim pone hanc depressionem paullo convexum: area inter oculos medios sat fortiter proclivis est, clypeus prærupte proclivis, pæne directus: altitudo ejus diametro oculi medii antici dimidio (vix duplo) major est. Area *oculorum* plus duplo latior est quam longior. Oculi laterales antici mediis anticis (qui oculis 4 posticis pæne æqualibus paullo minores sunt) pæne duplo sunt minores. Series oculorum antica a fronte visa parum deorsum curvata, pæne recta est, series postica desuper

visa fortissime recurva: hæc series pæne duplo longior est quam series antica. Series quam formant oculi duo medii postici paullulo longior est quam series a tribus oculis seriei anticæ formata. Oculi 4 medii aream transversam plus dimidio latiorem postice quam antice et paullo longiorem quam latiorem antice occupant. Oculi medii antici spatiis diametrum suam pæne æquantibus inter se et a mediis posticis separati sunt, a lateralibus anticis vero spatiis circa duplo minoribus. Oculi medii postici spatio diametro sua circa dimidio majore sunt disjuncti, a lateralibus posticis etiam paullo longius, spatiis duplam oculi diametrum æquantibus, remoti.

*Mandibulae* deorsum et anteriora versus directæ, in dorso ad longitudinem modice convexæ et pilis minus densis vestitæ, apice intus oblique rotundato-truncatæ; paullo plus duplo longiores quam latiores sunt, femora antica crassitie æquantes, patellis 3.<sup>ii</sup> paris non parum longiores, patellas 4.<sup>i</sup> paris longitudine æquantes. Sulcus unguicularis antice et postice 3 dentibus est armatus. *Maxillæ* basi angustæ, duplo longiores quam latiores apice, labio duplo longiores; *labium* paullulo longius quam latius, a basi ad apicem sat late truncatum lateribus leviter rotundatis sensim paullo angustatum. *Pedes*, 3.<sup>ii</sup> paris exceptis, longi et graciles sunt (1.<sup>i</sup> paris cephalothorace plus 7.plo, pedibus 3.<sup>ii</sup> paris pæne 3.plo longiores), metatarsis et præsertim tarsis gracillimis, his etiam in pedibus 1.<sup>i</sup> paris metatarso paullo brevioribus; metatarsi anteriores tibiam longitudine æquant. Pedes 2.<sup>i</sup> paris pedibus 4.<sup>i</sup> paris parum longiores sunt. Aculeis crebris armati sunt pedes; patellæ aculeum utrinque et tertium apice supra habent. *Abdomen* plus duplo longius quam latius, cylindrato-ovatum, antice truncato-rotundatum, postice breviter acuminatum. *Vulva* ex area mediocri sub-ovata, posteriora versus sensim acuminata, obscura et opaca, secundum medium impressa constat, quæ utrinque posterius callo sive lamina cornea limitata est: hæ laminæ pone medium intus in suum quæque tuberculum minutum nitidum nigrum elevatæ sunt.

*Color.* — *Cephalothorax* sordide fuscus, albicanti-pubescens, fasciis tribus longitudinalibus pallidis sat latis signatus, media satis æquali, usque ad oculos medios posticos pertinente et linea longitudinali obscura (vel saltem sulco centrali nigricante) geminata, lateralibus supra-marginalibus, lineis tenuibus sub-undulatis albicantibus limitatis; spatia inter has fascias eas latitudine circiter æquant. *Partes oris et sternum* sordide testacea, albicanti-pilosa, mandibularum apice et labio obscurioribus. *Palpi et pedes* basi clarius, præterea sordide testacei, pedes paullo nigro-annulati: tibiae enim et metatarsi (præsertim 4.<sup>i</sup> paris) apice nigricantes sunt, etiam ipsa basi anguste nigricantes vel nigricanti-maculatae. *Abdominis* dorsum sat late fuscum est; hæc area fusca fascia laterali pallida in margine superiore sive interiore crasse et inæqualiter undulato-dentata (et ut videtur, linea tenui saepius abrupta alba e pube formata ibi marginata) utrinque limitatur. In medio antice dorsum fasciam abbreviatam postice acuminatam, sub-lanceolatam, pallide fuscam, a basi ad medium dorsi pertinentem ostendit, quæ lineis duabus angustis obscure fuscis marginata est: hæc figura fasciis duabus angustis albo-cinerascentibus (paullo ante medium ejus macula parva obliqua nigra interruptis) est inclusa, quæ pone eam in fasciam singulam inæqualem, sensim angustatam et linea fusca geminatam, versus anum productam sunt coalitæ. Latera inferius et venter pallidus pube densa albicante tecta sunt.

MAS ad., præter notis ordinariis, quibus mares a feminis differunt, his præsertim insignis est. *Mandibulæ* multo majores quam in altero sexu, oblique anteriora versus et deorsum directæ, plus triplo longiores quam latiores, basi quidem parallelæ, sed tum primum foras, dein intus curvatæ, basi excepta igitur paullo incurvæ; ut *maxillæ* et *labium* piceæ et pilis longioribus densissimis cinerascentibus hirsutæ sunt. Dentes sulci unguicularis parvi et rari, 3 postice, 2 (vel 3?) antice; unguis brevis et fortis, æqualiter incurvus. *Palpi* omnium longissimi (saltem longitudine corporis), gracillimi, excepta

clava, quæ basi sub-globosa est et hic femora antica latitudine superat. Pars femoralis partes insequentes — apice longo partis tarsalis excepto — conjunctas longitudine æquat; pars patellaris parte femorali fere duplo brevior est et, ut ea, a basi ad apicem sensim paullo incrassata; pars tibialis pæne cylindrata et fortiter deorsum curvata est, parte patellari pæne duplo brevior; pars tarsalis priorem longitudine æquat, versus basin eâ plus duplo latior et hic, in dimidio basali, convexa et sub-ovata, dein vero in apicem longum rectum angustum producta. Bulbus sub-globosus modo dimidium basale partis tarsalis occupat, hac parte etiam latior; subter inflatus, nitidissimus et pallidus est. *Pedes* longissimi, 1.<sup>i</sup> paris cephalothorace fere 8.plo longiores. *Abdomen* quoque longius quam in femina. Præterea cum ea et ad formam et ad colorem convenit mas.

♀. — Lg. corp. 10  $\frac{1}{2}$ ; lg. cephaloth. 4, lat. ej. circa 3, lat. clyp. 1  $\frac{3}{4}$ ; lg. abd. 6  $\frac{3}{4}$ , lat. ej. 3  $\frac{1}{3}$  millim. Ped. I 29  $\frac{1}{2}$ , II 23  $\frac{1}{2}$ , III 10  $\frac{1}{4}$ , IV 23; metat. I 7  $\frac{1}{2}$ , tars. I 6  $\frac{1}{2}$ , pat. + tib. IV 6  $\frac{2}{3}$  millim.

♂. — Lg. corp. 9; lg. cephaloth. paullo plus 4, lat. ej. paullo plus 3, lat. clyp. circa 1  $\frac{3}{4}$ ; lg. abd. 5  $\frac{1}{4}$ , lat. ej. 2  $\frac{1}{4}$  millim. Palpi 10  $\frac{1}{2}$ ; ped. I 33, II 25  $\frac{1}{2}$ , III 12  $\frac{1}{4}$ , IV 24  $\frac{1}{2}$ ; tibia I 7  $\frac{1}{2}$ , metat. I 8, tars. I 7  $\frac{1}{4}$ , pat. + tib. IV 7  $\frac{1}{3}$  millim.

Exempla paucissima adulta et juniora.

Gen. LYCOSA (Latr.), 1805.

3. *L. rabulana*, Thor., *cephalothorace in fundo fusco, fasciis tribus longitudinalibus pallidioribus saltem ad partem albicanti-pubescentibus notato, quarum media, posterius satis angusta, in parte cephalica fortiter dilatata et utrinque rotundata vel in tres ramos divisa est, laterales supra-marginalis, fascia obscura plus minus in maculas abrupta geminatae; spatio inter series oculorum anticam et medium linea transversa alba ornato; sterno sub-luteo, maculis tribus parvis nigris utrinque;*

pedibus obscure luteis vel testaceis, vix vel parum nigricant-  
annulatis; abdome in fundo supra plaga maxima oblonga plus  
minus lata fusco-lutea occupato, quæ antice fasciam longitudi-  
nalem abbreviatam angustam clariorem continet, et posterius  
lineis nonnullis transversis nigris in vittas transversas divisa  
est, his lineis pube alba, lineas transversas saltem bis abruptas  
formante, vestitis. — ♀ ad. Long. circa 9 millim.

Syn.: 1890. *Lycosa rabulana*, Thor., Diagn. Aran. aliquot nov. in Indo-  
malesia invent., in Ann. del Mus. Civ.  
di Storia Nat. di Genova, XXX (Ser. 2.<sup>a</sup>,  
X), p. 138 (7).

1892. — — — id., Studi, cet., IV, Ragni dell'Indo-Malesia,  
II, ibid., XXXI (Serie 2.<sup>a</sup>, XI), p. 173.

FEMINA. — *Cephalothorax* tibia 4.<sup>i</sup> paris paullulo longior,  
circa  $\frac{1}{4}$  longior quam latior, utrinque anterius leviter sinuatus,  
lateribus partis cephalicæ pæne rectis anteriora versus sat for-  
titer angustatus, fronte truncata, clypeo dimidiata partem tho-  
racicam latitudine æquante. Minus altus est cephalothorax,  
dorso ipso pæne recto et librato, inter oculos posteriores paullo  
proclivi paulluloque convexo; facies directa, a fronte visa pæne  
æque alta ac lata supra, evidenter paullo latior infra quam su-  
pra, ubi (inter oculos posticos) leviter convexa est, lateribus  
pæne directis, inferius paullo convexis. Altitudo faciei longi-  
tudine mandibularum evidenter paullo est minor. Series *ocu-  
lorum* antica serie media multo, pæne diametro oculi singuli  
seriei mediæ, brevior est, leviter deorsum curvata; oculi ejus  
medii lateralibus fere duplo majores sunt, spatio diametro sua  
paullo minore separati, circa duplo longius ab iis quam inter  
se remoti. Oculi medii antici a margine clypei spatio distant,  
quod eorum diametro duplo majus est, sed diametro oculo-  
rum seriei mediæ evidenter minus; ab his oculis spatiis dia-  
metrum suam æquantibus distant oculi medii antici. Trapezium  
oculorum posteriorum fere æque longum ac latum antice est,  
dupla oculi postici diametro latior postice quam antice. Oculi

seriei mediæ valde magni spatio sunt disjuncti, quod eorum diametro paullulo minus est, a duobus posticis, quibus vix  $\frac{1}{4}$  majores sunt, paullo longius remoti.

*Mandibulæ* paullo reclinatae, patellis anticis circa dimidio longiores, femoribus anticis paullulo angustiores, circa  $2\frac{1}{3}$  longiores quam latores, in dorso ad longitudinem sat fortiter convexæ. *Labium* paullo latius quam longius videtur. *Pedes* mediocres, 4.<sup>i</sup> paris cephalothorace circa  $4\frac{1}{2}$  longiores; metatarsi hujus paris tibia cum patella paullo breviores sunt. Patellæ omnes aculeum utrinque habent, posteriores præterea 1. vel 1. 1. supra; tibiæ anteriores subter aculeis longis 2. 2. (præter 2 brevibus apicalibus) armatae sunt, antice et postice 1. 1. aculeis; metatarsi anteriores subter 2. 2. aculeos longos et appressos habent, utrinque vero 1 aculeum, præter apicales. Metatarsi et tarsi anteriores subter utrinque dense scopulati sunt. *Abdomen* forma est ordinaria. Area *vulvæ* sat magna postice truncata sub-rectangula fusca tres foveas fortes ostendit, medium oblongam, antice rotundatam, postice apertam, lateribus parallelis usque ad marginem posticum areæ pertinentem et postice septo lato quasi repletam; duæ aliae, in ipso margine postico areæ sitæ, minores sunt, rotundatae, postice apertæ, apici postico foveæ mediæ adjacentes. *Mamillæ* breves, superiores vix vel parum longiores quam inferiores, art. 2.<sup>o</sup> brevissimo, obtuso.

*Color.* — *Cephalothorax* in fundo rufescenti-fuscus, area oculorum nigra; fasciis tribus longitudinalibus fusco-testaceis est notatus, quarum media in parte thoracica satis angusta est et sulco centrali nigro geminata: in parte cephalica vero subito dilatata et in lateribus rotundata lineolisque duabus longitudinalibus obscuris notata est hæc fascia, vel potius anteriorius in tres ramos divisa, quorum exteriores incurvi sunt, medius in aream oculorum posticorum productus. Fasciæ laterales latæ et supra-marginales, fasciâ obscurâ plus minus in maculas abruptâ geminatae, dein in genas et clypeum, quæ pallida sunt, continuatæ. Pube densa sub-fusca (inter oculos posteriores

testaceo-fusca) vestitus est cephalothorax, fasciis illis tribus cum ipso margine laterali albo-pubescentibus, fascia media tamen anterius magis testaceo-pubescente. Inter series oculorum anticam et medium linea transversa deorsum curvata e pube alba formata conspicitur. *Sternum* sub-luteum, albo-pilosum, maculis tribus parvis nigris ad utrumque marginem. *Mandibulæ* fuscæ, albo-pilosæ et pilis longioribus nigris conspersæ. *Maxillæ* et *labium*, ut coxae pedum, sub-lutea sunt. *Palpi* sordide lutei. *Pedes* sordide vel ferrugineo-lutei, in fundo vix vel parum evidenter nigro-annulati, nigro-pubescentes et paullo albicanti-pubescentes quoque, pube albicante quasi annulos non-nulos angustos parum distinctos saltem in pedibus posterioribus formante. *Abdomen* in fundo superius fusco-luteum est vel obscurius, dorso plaga maxima oblonga plus minus lata fusco-lutea occupato: hic fundus fascia longitudinali abbreviata angusta paullo pallidiore ad basin notatus est, et lineis vel vittis transversis circa 5 nigris (quarum prima sat longe ante medium dorsi est sita) in fascias transversas plus minus perfecte divisus. Pube sub-fusca vestitum est dorsum, in lineis illis nigris vero albo-pubescentis, hac pube lineas transversas albas saltem bis abruptas formante; fascia illa media basalis utrinque punctis maculatis binis ternisve albis limitata est. Latera abdominis plus minus obscura pube sub-fusca et alba sunt variata; venter in fundo pallidus pube alba est vestitus. *Mamillæ* fuscæ, albo-pubescentes.

♀. — Lg. corp. 9; lg. cephaloth. paullo plus 4, lat. ej. 3  $\frac{1}{2}$ , lat. clyp. 2; lg. abd. pæne 5, lat. ej. 3 millim. Ped. I 14  $\frac{1}{6}$ , II 13, III 12  $\frac{2}{3}$ , IV 19; pat. + tib. IV 7, metat. IV 6  $\frac{2}{3}$  millim.

Feminam adultam singulam cum paucis junioribus invenit Workman. Quum exemplum feminineum (ex Sumatra) locis cit. a me descriptum detritum et minus bene conservatum sit, novam descriptionem hujus sexus dare non inutile putavi. — Mas adultus ignotus est.

Gen. VENONIA (1), n.

Cephalothorax longior, parte cephalica anteriora versus fortiter angustata, lateribus faciei directis.

Oculorum series antica serie media brevior, fortiter deorsum curvata: oculi ejus laterales mediis non minores. Oculi seriei mediæ magni, spatio eorum diametro minore separati. Oculi 4 posteriores in trapezium multo latius postice quam antece dispositi.

Mandibularum sulcus unguicularis in margine postico 3 dentibus armatus. Maxillæ labio circa duplo longiores; labium sub-transversum, apice truncatum.

Palpi feminæ unguiculo gracili pectinato-dentato instructi.

Pedes mediocri longitudine, graciles, ita: IV, I, III, II (II, III) longitudine se excipientes, aculeis sat crebris armati; tarsorum unguiculi superiores densius pectinato-dentati; unguiculus inferior dentibus paucioribus (circa 4) pectinatus.

Abdomen (ut saltem interdum aliæ corporis partes) squamulis colores metallicos sentientibus superius saltem ad partem vestitum.

Mamillæ longæ, superiores præsertim, quæ inferioribus non parum longiores sunt, art. 2.<sup>o</sup> longiore quam latiore, subconico.

Typus: *V. coruscans*, n.

Hoc novum genus, cui *Aulonia micarioides*, L. Koch (2), ex Nova Hollandia, haud dubie est adscribenda, *Aulonia*, C. L. Koch, et imprimis *Zantheri*, Thor. (3), affine est, ab *Aulonia* saltem abdomine squamulis in æneum vel cupreum colo-

(1) *Venonius* est nom. proprie. pers.

(2) *Die Arachn. Austral.* I, p. 961, Taf. LXXXIII, fig. 6 et 6<sup>a</sup>, et Taf. LXXXIV, fig. 1 et 1<sup>a</sup>.

(3) [Viaggio di L. Fea, cet., II] *Primo Saggio sui Ragni Birmani*, in Ann. del Mus. Civ. di Genova, XXV (2.<sup>a</sup> Ser., V), p. 317.

rem exeuntibus vestito præsertim et facillime dignoscendum, a *Zanthere*, cum quo hac in re convenit, serie oculorum antica fortiter deorsum curvata, spatio inter oculos seriei mediæ eorum diametro multo minore, unguiculis tarsorum plus binis dentibus pectinatis, cet., abunde differens.

4. *V. coruscans*, n., *cephalothorace in fundo nigro, oculis lateralibus anticis mediae anticos magnitudine multo superantibus, oculis seriei mediae ab oculis posticis paullo longius quam inter se remotis; palpis robustis, olivaceo-nigris; pedibus subtestaceis, femoribus nigris, tibiis annulis binis nigricantibus cinctis; abdomine superius nigro, pube squamuliformi cæneo-viridi- et cupreο-micante vèstito et supra anum macula pallida albo-pubescente notato, ventre ad maximam partem pallido.* — ♂ ad.  
*Long. circa 3  $\frac{1}{2}$  millim.*

MAS. — *Cephalothorax* tibia cum patella 4.<sup>i</sup> paris paullulo brevior est, pæne duplo longior quam latior, utrinque anterius paullo sinuatus, postice satis anguste truncatus, parte thoracica oblonga anteriora et posteriora versus lateribus modice rotundatis satis æqualiter angustata, parte cephalica longa lateribus anterius rotundatis primum sat leviter, dein, ante oculos posticos, sensim fortiter angustata, fronte igitur angusta, rotundata, clypeo dimidiam partem thoracicam latitudine non æquante. Sulcus ordinarius centralis sat brevis sed distinctus est, impressiones cephalicas evidentes quoque. Sat humilis est cephalothorax, dorso angusto ante declivitatem posticam parum præruptam recto et pæne librato (vix assurgente), inter oculos posticos paullo proclivi; facies cum clypeo directa vel paullulo reclinata. A fronte visa facies pæne quadrata est, paullulo latior quam altior, supra parum convexa, vix latior infra quam supra, lateribus directis, parum convexis; altitudo ejus saltem dimidio minor est quam longitudo mandibularum. Spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos eorum diametro plus duplo, fere triplo majus est; spatium vero inter

hunc marginem et oculos laterales anticos horum diametrum modo æquat. Area *oculorum* totam frontis latitudinem occupat, non parum latior quam longior: series eorum antica serie media paullo brevior est, fortissime deorsum curvata: laterales horum oculorum sat magni sunt, mediis minutis fere duplo maiores, inter se et ab iis spatiis parvis sub-æqualibus separati. Oculi laterales antici æque longe ab oculis seriei mediæ atque a margine clypei distant. Spatium inter oculos duos magnos seriei mediæ eorum diametro circa duplo minus est; ab oculis posticis, quibus non multo maiores videntur, spatiis etiam paullo minoribus sejuncti sunt oculi seriei mediæ. Trapezium oculorum posteriorum vix longius est quam latius antice, multo, circa dupla diametro oculi postici, latior postice quam antice. *Sternum* paullo longius quam latius, breviter sub-ovatum sed antice late truncatum, in lateribus antice fortius, præterea sat leviter rotundatum, postice breviter acuminatum, convexum, nitidum, punctis minutis impressis sat dense sparsum, glabrum (an detritum?).

*Mandibulæ* paullo reclinatae, fere triplo longiores quam latiores basi, apicem versus sensim paullulo angustatae, iii dorso parum convexæ; femoribus anticis multo angustiores sunt, parce pubescentes et pilosæ. Sulcus unguicularis postice 3 dentibus armatus est, antice, ut videtur, modo 2 dentibus. Unghis mediocris. *Maxillæ* parallelæ, inverse sub-ovatae, duplo longiores quam latiores apice, labio duplo longiores. *Labium* paullo latius quam longius, apice late truncatum. *Palpi* sat fortes, mediocri longitudine, nitidi, parum pubescentes vel pilosi, clava femoribus anticis paullo angustiore. Pars patellaris fere dimidio longior est quam latior, sub-cylindrata, pars tibialis ejus crassitie sed duplo longior quam latior, cylindrata, subter versus basin pilis longioribus munita; pars tarsalis parte tibiali circa dimidio latior est, partes duas priores conjunctas longitudine fere æquans, plus duplo longior quam latior, ovato-lanceolata, convexa, in apicem anguste triangulum, pilosum, reliqua parte tarsali non parum breviorem exiens.

Bulbus modice altus posterius lævis et nitidus videtur; in apice antico dentem brevem triangulum deorsum directum ostendit, si a latere exteriore inspicitur, et pone (apud) eum dentes duos parvos graciles parallelos, inter se proximos, deorsum et anteriora versus directos. *Pedes* gracillimi, modice longi, parum pilosi et pubescentes, aculeis gracillimis longis armati. In nostro exemplo aculei ad maximam partem detriti sunt: remanent tamen nonnulli, e. gr. in femoribus unus alterve longus supra, in patellis plerisque aculeus brevis in latere, et 2. 2. aculei subter in tibiis (et metatarsis) anterioribus, cum 1. in latere saltem anteriore earum. *Abdomen* ovato-cylindratum, plus duplo longius quam latius. *Mamillæ* longæ, præsertim superiores, quorum art. 1.<sup>s</sup> circa duplo longior quam latior est, art. 2.<sup>s</sup> eo circa dimidio brevior sed non parum longior quam latior, sub-conicus; mamillæ inferiores art. 1.<sup>m</sup> superiorum longitudine circiter æquant, art. 1.<sup>o</sup> fere duplo longiore quam latiore, 2.<sup>o</sup> brevi, sub-conico.

*Color.* — *Cephalothorax* in nostro exemplo detrito totus niger et nitidus est: vestigia pubescentiæ sub-cupreæ (?) hic illuc tamen vidiisse videor. *Sternum* nigricans. *Mandibulae* pi-ceæ, apice pallidiores. *Maxillæ* et *labium* nigricanti-testacea. *Palpi* olivaceo-nigri, bulbo ferrugineo. *Pedes* olivaceo-testacei, coxis flavis, femoribus nigris, tarsis testaceis: patellæ utrinque versus apicem nigricantes sunt, et tibiæ annulos binos latos nigricantes, basalem et apicalem (hunc in pedibus 1.<sup>i</sup> paris parum evidentem), ostendunt; aculei nigri. *Abdomen* in fundo nigrum est, macula sat parva testacea pube alba tecta paullo supra anum ornatum; præterea dorsum abdominis saltem anterius pube squamuliformi æneo-viridi et cuprea vestitum est. Venter pone plicaturam genitalem secundum medium (non usque ad mamillas tamen) sat late cinerascenti-testaceus et olivaceo-pubescescens est, hac area pallida lineis duabus longitudinalibus paullo pallidioribus saltem anterius limitata; utrinque apud eam, posterius, maculam parvam pallidiorem video quoque. Vestigia pubescentiæ albæ in ventre adsunt. *Mamillæ* superiores atræ, inferiores saltem apice pallidiores.

Feminam vidi quoque, sed adeo mutilatam, contusam et detritam, ut describi non possit. Unguiculus *palporum* ejus gracilis est, fere in semicirculum curvatus, et dentibus circa 5 cito longitudine crescentibus pectinatus, apice longo. Unguiculi *tarsorum* superiores longi, dentibus sat multis longis et densis pectinati, apice quoque longo; unguiculus inferior sat magnus, apice longo fortiter deflexo, et inter eum et basin dentibus circa 4 longis gracilibus et densis pectinatus. Vulva ex fovea rotunda, circulo corneo sub-elevato fusco cincta constat.

♂. — Lg. corp.  $3\frac{1}{2}$ ; lg. cephaloth. pæne 2, lat. ej. paullo plus 1, lat. clyp. fere  $\frac{1}{2}$ ; lg. abd. 2, lat. ej. pæne 1 millim. Ped. I pæne 6, II  $5\frac{3}{4}$ , III saltem  $5\frac{3}{4}$ , IV  $7\frac{1}{2}$ ; pat. + tib. IV circa  $2\frac{4}{6}$ , metat. IV circa 2 millim.

Exempla duo detrita, de quibus supra locutus sum, invenit Cel. Workman. *Aulonice micarioideæ*, L. Koch, ex Bowen et Port Mackay Novæ Hollandiæ, hæc species valde affinis videtur; in ea tamen oculi seriei anticæ æquali magnitudine dicuntur, venter sordide testaceus fasciis duabus longitudinalibus nigricantibus, vittis transversis ejusdem coloris conjunctis, notatus, cet., quæ in nostram araneam non quadrant.

Fam. OXYOPOIDÆ.

Gen. TAPPONIA Sim., 1885.

5. *T. austera*, n., *cephalothorace tibiam cum patella 4<sup>i</sup> paris longitudine saltem aequante, nigro-piceo, postice rufo-testaceo, pube rubra et, saltem postice, pube alba munito; area oculorum 2<sup>i</sup> et 4<sup>i</sup> parium vir longiore quam latiore; palpis et pedibus nigris, basi luteis, albo-pubescentibus; parte palporum tibiali sub-transversa, a latere exteriore visa apice late rotundato-incisa et in hac incisura lamina brevi nigra prædita, quæ desuper inspecta dentem foras directum assimilat; parte tarsali*

*parum longiore quam latiore, apice, in quem exit, brevissimo.*

— ♂ ad. Long. circa 7 millim.

MAS. — *Cephalothorax* paullulo longior est quam tibia cum patella 4.<sup>i</sup> paris, vix  $\frac{1}{4}$  longior quam latior, altus et latus, clypeo saltem  $\frac{2}{3}$  partis thoracicae latitudine aequante, fronte lata et rotundata. Altitudo faciei longitudinem mandibularum multo superat; altitudo clypei valde prærupte proclivis (non directi) earum longitudine evidenter minor est. Sulcus ordinarius centralis brevissimus. Area *oculorum* multo latior quam longior est. Oculi 1.<sup>i</sup> paris minuti spatio eorum diametro saltem dimidio majore sunt sejuncti, ab oculis 2.<sup>i</sup> paris spatiis paullo minoribus remoti. Spatium inter oculos 2.<sup>i</sup> paris (qui oculis 3.<sup>ii</sup> paris saltem duplo maiores sunt) eorum diametro duplo est majus, et paullo majus quam longitudo seriei ab oculis 1.<sup>i</sup> paris formatæ, sed vix majus quam spatia, quibus ab oculis 3.<sup>ii</sup> paris separati sunt. Oculi 4.<sup>i</sup> paris, 3.<sup>ii</sup> paris oculis fere dimidio maiores, spatio sunt sejuncti, quod eorum diametro fere quadruplo majus est et multo, circa dimidio, majus quam sunt spatia, quibus ab oculis 3.<sup>ii</sup> paris sunt disjuncti, his spatiis spatia inter oculos 2.<sup>i</sup> et 3.<sup>ii</sup> parium circiter aequantibus. Area ab oculis 2.<sup>i</sup> et 4.<sup>i</sup> parium occupata vix longior est quam latior, rectangula, saltem non latior antice quam postice.

*Mandibulae* duplo longiores quam latiores basi, ubi femoribus anticis paullo latiores sunt. *Maxillæ* circa triplo longiores quam latiores, labio plus dimidio longiores, in latere exteriore late sinuatæ sive constrictæ. *Labium* pæne duplo longius quam latius, lateribus saltem a medio ad basin parallelis (hæc pars labii quadrata est), præterea versus apicem truncatum sensim paullo angustatum. *Palpi* breves, clava femoribus anticis evidenter latiore. Pars patellaris æque lata ac longa est, pars tibialis ea vix longior et vix vel parum latior, desuper visa; a latere exteriore visa longior est supra quam infra, paullo latior apice quam longior supra, et apice late rotundato-excisa;

in hac incisura, extus, lamina brevis longitudinalis sub-obliqua nigra conspicitur, cuius apex superior-exterior dentem parvum format: quum desuper inspicitur pars tibialis, hæc lamina dentem foras directum formare videtur. Pars tarsalis prioribus duabus conjunctim pæne duplo longior est et partis tibialis apice fere triplo latior, in apicem brevissimum producta, parum longior quam latior, sine apice illo sub-hemisphærica, in latere exteriore tamen sat leviter, in interiore latere fortissime rotundata; basi transversim truncata est, ad basin extus tuberculo retro vel foras directo non munito, sed ipse margo exterior basi paullo dilatatus est et ibi dente deorsum directo præditus. Bulbus a latere exteriore visus paullo ante medium dentem nigrum deorsum et paullo anteriora versus directum ostendit. *Abdomen* ovato-lanceolatum.

*Color.* — *Cephalothorax* (in nostro exemplo detrito) in fundo nigro-piceus est et, saltem in parte thoracica, pube rubra vestitus, excepto postice, ubi (saltem in declivitate postica) rufo-testaceus est et vestigiis pubescentiæ albae munitus: in margine laterali albo-pilosus est. *Sternum*, *maxillæ* et *labium* luteo-testacea. *Mandibulæ* nigro-piceæ, remanentibus vestigiis pubescentiæ pallidæ in dorso, intus. *Palpi* nigri, parte femorali basi rufo-testacea sive lutea; pube alba saltem ad magnam partem vestiti sunt. *Pedes* quoque nigri, albo-pubescentes, coxis, trochanteribus et basi femorum luteis. *Abdomen* in fundo nigrum et cinerascenti-variatum fuisse videtur (?). *Mamillæ* nigrae.

Lg. corp. 7; lg. cephaloth.  $3\frac{1}{4}$ , lat. ej. paullo plus  $2\frac{1}{2}$ , lat. clyp. circa  $1\frac{5}{8}$ ; lg. abd. paullo plus 4, lat. ej. pæne 2 millim. Ped. I  $12\frac{1}{2}$ , II  $11\frac{1}{4}$ , III  $9\frac{1}{2}$ , IV circa  $9\frac{1}{2}$ ; pat. + tib. IV parum plus 3 millim.

Exemplum singulum detritum, abdomine corrugato et de colore, vidi, in ins. Singapore in nido Sphegoidis (?) cujusdam a Cel. Workman inventum.

Fam. HETEROPODOIDÆ.

Gen. SAROTES (Sund.), 1833.

6. *S. cursor*, n., labio multo latiore quam longiore; cephalothorace tibiam 4.<sup>i</sup> paris longitudine pæne æquante, rufescens-fusco, pube tenui cinereo-albicante vestito; serie oculorum antica recta, postica recta quoque, saltem non recurva; spatio inter oculos binos laterales spatiis quibus distant medii antici a mediis posticis paullo minore, oculis mediis anticus, reliquis oculis paullo majoribus, spatio diametrum suam æquante separatis et paullulo longius a lateralibus anticis quam inter se remotis; pedibus in fundo fusco-rufis, metatarsis anterioribus infuscatis, pedibus 2.<sup>i</sup> paris cephalothorace circa 5<sup>1</sup>/<sub>2</sub> longioribus, tibiis anterioribus supra aculeis 1. 1., 4.<sup>i</sup> paris tibiis 1 aculeo supra munitis; abdomine sub-testaceo, lineis duabus longitudinalibus nigris, fasciam sub-lanceolatam definientibus antice notato, quas sequitur fascia media longitudinalis nigra quasi e triangulis minutis composita; lateribus abdominis supra fascia vel umbra longitudinali nigra notatis, ventre vestigiis linearum duarum longitudinalium nigrarum; vulva nigra. — ♀ ad. Long. circa 12 millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* saltem æque latus ac longus, tibiâ 4.<sup>i</sup> paris paullulo brevior, utrinque anterius sat fortiter sinuato-angustatus, lateribus partis thoracicæ fortiter et æqua-liter rotundatis, parte cephalica lateribus primum rectis dein rotundatis anteriora versus paullo angustata, fronte truncata, clypeo pæne  $\frac{2}{3}$  partis thoracicæ latitudine æquante. Modice altus est cephalothorax, toto dorso, a margine postico ad oculos medios posticos, modice et pæne æqualiter (paullo fortius tamen anterius quam posterius) convexo, usque paullo ante medium acclivi, dein proclivi; pars cephalica supra transver-

sim modo paullo convexa est, lateribus vero prærupte convexo-declivibus. Impressiones cephalicæ fortes sunt, sulcus centralis fortis et sat brevis, tarso 4.<sup>i</sup> paris non parum brevior. Spatium inter oculos anticos et marginem clypei dimidiā eorum diametrum circiter æquat. Series *oculorum* antica a fronte visa recta est, series postica, quæ dupla oculi lateralis postici diametro ea est longior, desuper visa recta quoque, vix evidenter procurva. Oculi medii antici lateralibus anticis paullo majores sunt; laterales postici mediis posticis paullulo maiores, sed mediis anticis paullulo minores. Area oculorum mediorum paullo latior est postice quam antice, postice non parum latior quam longior: antice parum latior est quam longior. Oculi medii antici, qui spatio diametrum suam æquante separati sunt, paullulo longius a lateralibus anticis quam inter se distant. Spatium inter oculos medios posticos eorum diametro plus dimidio, pæne duplo majus est: a lateralibus posticis circa dimidio longius quam inter se remoti sunt hi oculi. Spatium inter oculos binos laterales, qui tuberculo communi sunt impositi, anterioris eorum diametrum æquat et evidenter paullo minus est quam spatia, quibus medii antici a mediis posticis sunt separati, his spatiis diametrum oculi medii antici fere æquantibus. *Sternum* sub-triangulum, non parum latius antice quam longius, antice latissime et leviter emarginatum, lateribus leviter rotundatis posteriora versus cito et æqualiter angustum, postice sat breviter acuminatum, planum, tuberculis tribus humilibus utrinque, ad basin coxarum sex anteriorum sitis præditum, præterea læve, nitidissimum.

*Mandibulae* femoribus anticis paullo crassiores, patellas 1.<sup>i</sup> paris longitudine æquantes, saltem dimidio longiores quam latiores, ad longitudinem fortiter convexæ, læves, nitidæ. Sulcus unguicularis postice dentibus 3 mediocribus armatus est, antice 3 dentibus, quorum laterales parvi sunt. *Maxillae* parum longiores quam latiores, basi angustæ, breviter triangulo-ovatae fere; *labium* maxillis saltem duplo brevius est, pæne duplo latius quam longius, apicem late rotundato-truncatum versus

paullo angustatum. *Palporum* pars patellaris dimidio longior est quam latior, pars tibialis duplo longior quam latior. *Pedes* longi (2.<sup>i</sup> paris cephalothorace circa 5  $\frac{1}{2}$ , longiores). Patellæ aculeum utrinque habent; tibiæ anteriores supra aculeis 1. 1., 4.<sup>i</sup> paris tibiæ supra 1 aculeo versus apicem sito sunt instructæ. Scopulæ densæ et sat latae sunt, in pedibus anterioribus usque ad basin metatarsorum pertinentes. *Abdomen* (post partum) sub-ovatum. *Vulva* cornea nigra ex fovea magna fere inverse ovata, antice acuminata, postice aperta, callo lato humili incurvo utrinque limitata constat, quæ antice profundior est: fundus ejus præterea ab area sub-triangula occupatur, quæ antice (fere in medio foveæ) costas duas transversas ostendit et utrinque sulco incurvo quasi marginata est.

*Color.* — *Cephalothorax* in fundo rufo-fuscus est, pube tenui cinereo-albicante vestitus et pilis nigris magis erectis præsertim anterius sparsus; oculi nigricantes. *Sternum* rufo-testaceum sive luteum, pilis erectis nigris dense conspersum. *Mandibulæ* nigro-piceæ, pilis patentibus nigris (ad partem apice pallidis) minus dense sparsæ, sulco unguiculari rufo-ciliato. *Maxillæ* et *Labium* rufo-picea. *Palpi* rufescentes, nigro-pilosi, parte tibiali rufo-fusca, parte tarsali nigricante et dense sub-fuligineo-pilosa. *Pedes* fusco-rufi, basi pallidiores, præsertim femoribus saltem posticis subter cum coxis rufescenti-luteis, metatarsis anterioribus vero nigricantibus; pube tenui pallide cinerascente prædicti (vestiti?) sunt pedes, minus dense nigro-pilosi, aculeis nigris. *Abdomen*, pube longiore sat densa fulva sive sub-testacea vestitum et pilis longioribus erectis nigris sparsum, in fundo sub-testaceum est, et hac pictura nigra ornatum: antice in medio dorsum ejus lineas duas longitudinales nigricantes ostendit, fasciam sub-lanceolatam testaceam definientes, quam sequitur fascia media longitudinalis angusta, posteriora versus sensim attenuata, in marginibus dentata vel quasi e triangulis minutis conflata, usque ad apicem dorsi nigrum continuata. Latera abdominis, supra, umbra longitudinali nigra sunt notata, quæ quasi e serie macularum nigrarum com-

posita videtur. Venter pallidus vestigia linearum duarum longitudinalium nigrarum secundum medium ostendit; *vulva* nigra est, *mamillæ* testaceæ.

Lg. corp. 12; lg. cephaloth. pæne 5  $\frac{1}{2}$ , lat. ej. 5  $\frac{1}{2}$ , lat. clyp. 3  $\frac{1}{2}$ ; lg. abd. 7  $\frac{1}{2}$ , lat. ej. pæne 4 millim. Ped. I 28, II 28  $\frac{3}{4}$ , III?, IV 23  $\frac{1}{4}$ ; pat. + tib. IV circa 7  $\frac{1}{6}$  millim.

Singulam feminam (pedibus 3.<sup>ii</sup> paris carentem) examinavi.

Fam. MISUMENOIDÆ.

Gen. TMARUS, Sim., 1875.

7. *T. pulchripes*, n., *cephalothorace fusco, facie et fascia dorsi longitudinali sub-triangula antice latissima plus minus pallidis et fusco-variatis; fronte clypeo non vel modo paullo lato*, *altitudine clypei spatium inter oculos medios anticos et posticos non superante; oculis binis lateralibus suo quisque tuberculo magno sed non multo alto impositis; pedibus fusco-testaceis vel luteis, maculis parvis nigris sparsis et plus minus evidenter albo-lineatis et (in apice internodiorum mediorum) -annulatis, femoribus anterioribus antice fascia longitudinali sat lata nigra ornatis, quæ serie lineolarum paucarum alborum supra est limitata, internodiis insequentibus saltem pedum posteriorum linea longitudinali nigra postice notatis; abdomine in mare circa duplo longiore quam lato*, *re, supra pallidius fusco, paullo albocanti-variato et in parte posteriore tertia lineis paucis transversis fuscis signato. — ♂ (et ♀) ad. Long. ♂ circa 3  $\frac{1}{2}$  millim.*

MAS. — *Cephalothorax* paullo longior quam latore est, utrinque antice non parum sinuato-angustatus, in lateribus partis thoracicæ fortiter et æqualiter rotundatus, clypeo dimidiat partem thoracicam latitudine modo paullo superante; frons cum tuberculis oculorum lateralium clypeum latitudine modo

paullulo superat. Subtilissime coriaceus est cephalothorax, nitidus, tuberculis nonnullis parvis ad latera partis cephalicæ et uno alterove minuto in medio ejus præditus; sat altus est, anterius parum convexus, dorso ante declivitatem posticam (quæ reliquo dorso paullo brevior est, paullo convexa et sat prærupta) usque ad oculos medios posticos recto et librato; clypeus valde præruptus (non plane directus) est, altitudine spatium inter oculos medios anticos et posticos pæne æquans. *Oculi* laterales, suo quisque tuberculo magno sed non multo alto impositi, magni sunt, antici præsertim, qui lateralibus posticis non parum, et oculis mediis pæne æqualibus saltem triplo sunt maiores. Series oculorum antica a fronte visa paullulo sursum curvata est: linea recta oculos medios anticos supra tangens laterales sub centro secat; series postica, serie antica fere dupla oculi lateralis antici diametro longior, desuper visa fortiter est recurva. Area oculorum mediorum non parum, sed vix dimidio, longior est quam latior postice, et paullulo latior postice quam antice. Spatium inter oculos binos laterales, oculi maximi diametro circa duplo majus, paullulo majus videtur quam spatia quibus medii antici a mediis posticis distant. Oculi medii antici paullulo longius a lateralibus anticis quam inter se remoti sunt, spatio diametro sua circa dimidio majore separati; medii postici, spatio duplam eorum diametrum fere æquante sejuncti, circa dimidio longius a lateralibus anticis quam inter se distant.

*Mandibulæ* fortes, duplo longiores quam latiores basi, ubi femora antica crassitie æquant. *Palpi* mediocres, clava femora antica crassitie pæne æquante. Pars patellaris parum longior est quam latior, pars tibialis parte patellari non parum latior apice, sed ea multo brevior, sub-transversa: latus ejus exterius in procursum appressum crassum incurvum pallidum, anteriora versus et paullo deorsum directum est productum, cuius apex in spinulam sive dentem gracilem acuminatum nigrum, foras et anteriora versus directum exit; apice subter pars tibialis præterea procursum obtusum magis porrectum, et, magis intus,

dentem gracillimum habere videtur. Pars tarsalis sub-ovata est, saltem dimidio longior quam latior, partibus duabus prioribus conjunctis paullo longior et parte patellari saltem duplo latior; e latere ejus interiore, prope basin, spinula intus directa exit. Bulbus sat parvus, brevissime ovatus, subter sat leviter convexus et laevis, spina longissima nigra cinctus. *Pedes* sat graciles, anteriores sat longi, cephalothorace pæne 4. plo longiores; parcus pilosi sunt, aculeis mediocribus crebris armati: in 1. i paris pedibus, e. gr., femora circa 8 aculeos ostendunt, patellæ 1 aculeum in utroque latere, tibiæ subter 3 paria aculeorum (præter unum parvum versus basin), 1. 1. 1 aculeos in utroque latere et 1. 1. 1 supra metatarsi, ut videatur; modo 2. 2. aculeos subter et 1. 1. in utroque latere habent. *Abdomen* circa duplo longius quam latius, inverse et anguste ovatum fere, antice rotundatum, tum lateribus usque ad circa  $\frac{2}{3}$  longitudinis modo leviter rotundatis sensim paulo dilatatum, dein lateribus rectis sensim paulo fortius angustatum et acuminatum, angulis lateralibus late rotundatis, parum expressis.

*Color.* — *Cephalothorax* obscure fuscus, in lateribus paulo pallido-maculatus, parte cephalica pone oculos in formam plagæ maximæ cordiformi-ovatae pallidius fusca et paulo pallido-striata, area oculorum sub-fusco-variata cum clypeo etiam paulo pallidiore, tuberculis oculorum lateralium cœruleum colorem sentientibus. *Sternum* cum *maxillis* et *labio* fusco-testaceum. *Mandibulæ* pallidius fuscae. *Palpi* fusco-testacei, partibus tibiali et (præsertim) tarsali infuscatis, hac tamen apice clariore. *Pedes* fusco-testacei, tarsis nigris, et maculis parvis nigris sparsi, quibus insistunt aculei nigri vel fusi; internodia pleraque apice plus minus evidenter et anguste alba sunt et ad longitudinem albicanti-lineata: femora anteriora præterea antice fascia longitudinali sat lata nigra ornata sunt, quæ linea albâ supra est marginata, hac linea serie macularum paucarum parvarum nigrarum in lineolas abrupta. In pedibus posterioribus patellæ, tibiæ, metatarsi et tarsi lineam longitudi-

nalem nigram postice ostendunt. *Abdomen* supra pallide fuscum vel ferrugineum est, lineis paucis transversis obscure fuscis in parte tertia posteriore pictum et maculis paucis pallidioribus anterius saltem ad latera sparsum; subter cum *mamillis* fuligineo-testaceum est.

FEMINA. — Specimen femineum (abdomine carens) præter palpis his rebus ad structuram a mare differt: cephalothorax antice paullo latior est quam in eo, fronte clypeum vix latitudine superante, declivitate postica recta; pedes non parum breviores sunt quam in mare (2.<sup>i</sup> paris cephalothorace vix 3.plo longiores), et aculeis minoribus et paucioribus armati. *Color* feminæ hoc modo se habet: *cephalothoracis* pars thoracica paulo clarius fusca est quam in mare, paullo albicanti-variata et radiata et macula albicante utrinque postice, ad latera declivitatis posticæ, notata; dorsum cum genis et facie fascia anterius latissima, posteriora versus sensim angustata, postice obtusa et usque in declivitatem posticam continuata, albicanti-cinerea, paullo fusco-variata est occupatum; tubercula oculorum lateralium colorem cœruleum sentiunt. *Mandibulæ* quoque albicanti-cinereæ, versus basin late fusco-variatae. *Pedes* (etiam tarsi) sub-lutei sunt, eodem modo atque in mare colore nigro (vel potius nigro-rufescens) et albo picti; sed etiam pedes anteriores (non tantum posteriores) postice in patellis, tibiis, metatarsis et tarsis linea longitudinali nigro-rufescente prædicti sunt. *Abdomen*?

♂. — Lg. corp. 3  $\frac{1}{2}$ ; lg. cephaloth. 1  $\frac{1}{3}$ , lat. ej. paullo plus 1  $\frac{1}{2}$ , lat. clyp. circa 1, lat. front. paullo plus 1; lg. abd. paullo plus 2, lat. ej. circa 1 millim. Ped. I pæne 8, II 8, III 4, IV 4  $\frac{2}{3}$ ; pat. + tib. IV 1  $\frac{1}{2}$  millim.

♀. — Lg. corp.?; lg. cephaloth. pæne 2, lat. ej. 1  $\frac{3}{4}$ , lat. clyp. et front. paullo plus 1 millim. Ped. I 5  $\frac{1}{3}$ , II 5  $\frac{1}{2}$ , III 3  $\frac{1}{4}$ , IV 3  $\frac{3}{4}$ ; pat. + tib. IV 1  $\frac{1}{2}$  millim.

Exemplum utriusque sexus (femineum abdomine carens) sub oculis habeo.

Gen. **PHILODAMIA** (1), n.

Cephalothorax forma est ordinaria, non vel parum longior quam latior, minus altus, dorso a latere viso plus minus convexo, fronte sub-truncata dimidiā partem thoracicam latitudine circiter æquante, nec carinata neque utrinque in angulum producta; clypeus pæne directus longitudinem areæ oculorum mediorum altitudine vix vel non superat.

Area oculorum magna; series eorum duæ extremitatibus non parum divaricant. Series antica a fronte visa pæne recta est, postica, eâ non parum longior, fortiter recurva. Oculi laterales, suo quisque tuberculo magno impositi, magni sunt, medii, præsertim postici, parvi. Area oculorum mediorum latior quam longior, latior antice quam postice. Oculi laterales bini spatio paullo majore sunt separati, quam quo distant medii antici a mediis posticis. Oculi medii antici longius inter se quam a lateralibus anticis remoti sunt.

Mandibulæ pæne directæ, sub-conicæ, sat breves; unguis brevis.

Maxillæ in labium inclinatae eoque saltem dimidio longiores, plus duplo longiores quam latiores, in latere exteriore sinuatae; labium circa dimidio longius quam latius, apice rotundatum.

Pedes mediocres, posteriores anterioribus non ita multo breviores et graciliores; metatarsi omnes tarso longiores sunt. Aculei pedum debiles, non crebri.

Abdomen breviter et inverse pentagono-ovatum fere, angulis lateralibus late rotundatis, non prominentibus.

Typus: *Ph. hiliaris*, n.

*Philodamia* genus est *Coriarachnae*, Thor., præsertim affine, corpore non deplanato, cephalothorace ad longitudinem evi-

---

(1) Φιλοδαμία, nom. propr. mythol.

denter convexo, cet., ab hoc genere differens, area oculorum mediorum latiore antice quam postice, et oculis mediis anticis longius inter se quam a lateralibus anticis remotis ab *Ocylla*, Thor., *Tharrhalea*, L. Koch, cet., facile distinguendum.

8. *Ph. hilaris*, n., *cephalothorace nigro-fusco, limbo laterali et fascia media latissima posteriora versus sensim angustata ferrugineo-testaceis; area oculorum mediorum multo latiore antice quam postice et pæne dimidio latiore postice quam longiore; pedibus sub-luteis, pæne unicoloribus, modo supra in femoribus plus minus evidenter transversim nigro-vittatis vel -maculatis; abdominis dorso in lateribus et postice satis anguste sub-luteo, præterea plaga maxima, utrinque anterius incisa, in marginibus inæquali, nigra occupato, quæ maculis sat parvis albis conspersa est.* — ♀ ad. Long. circa  $3\frac{1}{4}$ - $3\frac{1}{2}$  millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* parum longior quam latior, parum longior quam tibia cum patella 4.<sup>i</sup> paris, antice utrinque vix sinuatus, lateribus partis thoracicæ fortiter, partis cephalicæ parum rotundatis anteriora versus sensim modice angustatus, fronte rotundato-truncata dimidiā partem thoracicam latitudine saltem æquante; modice altus est, dorso a latere viso ante declivitatem posticam usque ad oculos medios posticos modice convexo et, anterius, proclivi, inter oculos medios præruptius proclivi. Clypeus pæne directus est; spatium inter marginem ejus et oculos medios anticos paullo majus videtur quam spatia quibus oculi medii antici a mediis posticis distant. Lævis et nitidus est cephalothorax, setis nonnullis longis foribus sub-erectis sparsus; impressiones cephalicæ modo anterius evidentes sunt, sulcus ordinarius centralis vix ullus. *Oculi* laterales, suo quisque tuberculo magno impositi, magni sunt, antici eorum posticis non parum mayores, et mediis anticis, qui mediis posticis minutis paullo mayores sunt, saltem quadruplo maiores. Area oculorum magna est, totam latitudinem frontis occupans; series eorum duæ, quarum postica circiter dupla

oculi maximi diametro longior est quam antica, extremitates versus sat fortiter divaricant. Series antica a fronte visa pæne plane recta est, parum sursum curvata; series postica fortiter recurva. Area oculorum mediorum non parum (vix dimidio tamen) latior est antice quam postice; antice fere duplo, postice saltem dimidio latior est quam longior. Spatium inter oculos binos laterales paullo majus est quam spatia quibus medii antici a mediis posticis distant. Oculi medii antici, spatio diametro sua multis partibus majore separati, saltem duplo longius inter se quam a lateralibus anticis remoti sunt; medii postici contra non parum (vix dimidio) longius a lateralibus posticis quam inter se distant. *Sternum* cordiformi-ovatum fere, antice late truncatum, non inter coxas 4.<sup>i</sup> paris (spatio earum diametro paullo minore separatas) productum.

*Mandibulae* sub-conicæ, circa dimidio longiores quam latiores et femoribus anticis paullo angustiores, læves, nitidæ, setis fortibus porrectis sparsæ. *Pedes* inediocres (2.<sup>i</sup> paris cephalothorace circa triplo longiores), modice pilosi, supra in femoribus aculeis binis longis setiformibus sat fortibus, præterea aculeis modo paucis et debiliimis muniti: in tibiis anterioribus modo unum alterumve aculeum ejusmodi, subter situm, habere videntur pedes, et subter in metatarsis 1. 1. aculeos — num ita semper? *Abdomen* breviter et inverse pentagono-ovatum fere, sat leviter convexum, angulis lateralibus late rotundatis, non prominentibus; supra pilis longis sat dense conspersum est. *Vulva* ex fovea magna levi pallida constat, quæ utrinque postice maculam rotundatam nigrā ostendit, his maculis spatio diametro sua paullo majore separatis.

*Color.* — *Cephalothorax* nigro-fuscus, dorso fascia media longitudinali latissima posteriora versus sensim angustata ferrugineo testacea occupato; facies quoque hoc colore pallidiore est, tuberculis oculorum lateralium cœruleo-cinerascentibus; pars thoracica in lateribus limbo satis angusto ferrugineo-testaceo cincta est, summo margine tamen nigro. *Sternum* luteo-flavens. *Mandibulae* ferrugineo-testacea, *maxillæ* et *labium*

paullo clariora. *Palpi* et *pedes* sub-lutei, pedes anteriores tamen magis rufescenti-lutei; supra in femoribus vestigia vittæ vel vittarum binarum, vel macularum paucarum nigricantium video, et internodia quædam apice angustissime alba sunt: præterea annulis nigris et albis carent pedes. Dorsum *abdominis* in lateribus anguste et apice postico latius sub-luteum est, præterea vero plaga maxima nigra, in lateribus inæquali et utrinque anterius sat profunde incisa occupatum, quæ antice fascia longitudinali angusta pallida vix ad medium dorsi pertinente et posteriora versus sensim angustato-acuminata notata est et maculis albis sat parvis in marginibus lateralibus et postico (præter tribus parvis in medio, triangulum apice retro directum formantibus) conspersa: etiam margo anticus dorsi anguste albicans est, et supra anum duæ maculæ parvæ transversæ albæ adesse possunt, cum duabus aliis in margine postico plagæ nigrae sitis trapezium parvum formantes. Latera abdominis et venter sub-lutea sunt, venter utrinque fascia incurva nigra (plus minus interrupta) limitatus. *Mamillæ* sub-luteæ. Pili, setæ et aculei ad maximam partem nigri sunt.

Lg. corp.  $3 \frac{1}{2}$ ; lg. cephaloth. circa  $1 \frac{2}{3}$ , lat. ej. paullo plus  $1 \frac{1}{2}$ , lat. clyp. pæne 1; lg. abd.  $2 \frac{1}{2}$ , lat. ej. pæne 2 millim. Ped. I  $4 \frac{1}{2}$ , II pæne 5, III fere  $3 \frac{1}{2}$ , IV  $3 \frac{1}{2}$ ; pat. + tib. pæne  $1 \frac{1}{2}$  millim.

Duo exempla feminea.

9. *Ph. variata*, n., *cephalothorace sub-testaceo, setis longis fortibus nigris sparso et fasciis duabus longitudinalibus latis nigro-fuscis intus (et postice extus quoque) albo-limbatis secundum margines ornato, spatio inter eas fere in medio lineola longitudinali dupli nigricante notato; area oculorum mediorum parum latiore antice quam longiore, oculis mediis anticis modo paullo longius inter se quam a lateralibus anticis remotis; pedibus pallide testaceis, plus minus nigro-annulatis et rubro-maculatis; abdomine paullulo longiore quam latiore, inverse pentagono-ovato fere, dorso ejus cinereo-testaceo et in lateribus*

*anguste et inæqualiter albo præterea punctis maculisque nigro-fuscis et albis undique variato, quæ maculæ ad basin ejus in fascias duas longitudinales postice abbreviatas nigro-fuscas confusæ sunt, paullo pone medium vero in playas duas oblongas obliquas ejusdem coloris sed longius inter se remotas, et denique postice in dorso lineas paucas transversas formant.* — ♀ ad.  
*Long. circa 3  $\frac{1}{2}$  millim.*

FEMINA. — *Cephalothorax* æque longus et latus, paullo longior quam tibia cum patella 4.<sup>i</sup> paris, utrinque anterius vix sinuatus, in lateribus usque ad oculos laterales posticos postice fortiter, præterea leviter rotundatus, dein lateribus rectis anteriora versus sat fortiter augustatus, antice truncatus, latitudine clypei dimidiam partis thoracicæ latitudinem circiter æquante. Modice altus est cephalothorax, dorso a latere viso ante declivitatem posticam (modice declivem et reliquo dorso non multo breviorem) parum convexo, pæne recto et modice proclivi, inter oculos medios modo paullo magis proclivi; altitudo clypei pæne directi spatiis quibus oculi medii antici a mediis posticis distant paullo minor est. Setis sat rarissimis longis et fortibus, tuberculis minutis impositis, sparsus est cephalothorax, præterea subtilissime coriaceus, nitidus et glaber. Area oculorum valde magna, quartam partem longitudinis cephalothoracis circiter occupans. Oculi laterales maximi, præsertim antici, qui posticis non parum majores sunt et mediis anticis minutis circa sextuplo majores; oculi medii postici mediis anticis paullo sunt majores. Series oculorum postica circa tripla oculi lateralis antici diametro longior est quam antica et fortiter recurva; series antica desuper visa sat leviter recurva est, a fronte visa levissime sursum curvata: linea recta oculos medios supra tangens laterales paullo sub centro secat. Area oculorum mediorum, paullo latior antice quam postice, parum latior antice est quam longior. Spatium inter oculos binos laterales, qui suo quisque tuberculo forti impositi sunt, paullo majus est quam spatia quibus oculi medii antici a me-

diis posticis distant, duplam oculi lateralis postici diametrum æquans. Oculi medii antici, qui spatio eorum diametro multis partibus majore et diametrum oculi lateralis antici saltem æquante separati sunt, spatio modo paullo majore inter se quam a lateralibus anticis distant; medii postici contra duplo longius a lateralibus posticis quam inter se sunt remoti. *Sternum* sub-ovatum, antice truncatum, postice sub-acuminatum et inter coxas 4.<sup>i</sup> paris, quæ spatio diametro sua paullo minore separatae sunt, paullo pertinens.

*Mandibulæ* plus dimidio longiores quam latiores, femoribus anticis paullo angustiores, ut *palpi* setis fortibus conspersæ. *Pedes* breves et sat robusti, 2.<sup>i</sup> paris cephalothorace fere triplo longiores; paullo pilosi et setis longis fortibus sive aculeis plus minus curvatis sparsi sunt, quarum saltem una supra in femoribus anterioribus valde longa est (reliquæ in nostro exemplo defractæ); metatarsi anteriores subter 3 paria aculeorum breviorum habere videntur. In pedibus posterioribus setæ longæ rectæ sunt ideoque potius aculei appellandæ. *Abdomen* ad formam ut in *Xysticis* plerisque est, non multo depresso, inverse pentagono-ovatum, paullulo longius quam latius, setis sat fortibus, suo quæque tuberculo minuto impositis conspersum. *Vulva* ex area magna transversa postice leviter rotundata et præsertim hic ferruginea constat, quæ utrinque in apicibus hujus vittæ ferrugineæ, antice, maculam (foveam?) parvam circulatam pallidam anguste ferrugineo-marginatam ostendit; quæ duæ maculæ spatio earum diametro 3-4.plo majore separatae sunt.

*Color.* — *Cephalothorax* sub-testaceus, fascia lata nigro-fusca paullo pallido-maculata utrinque cinctus, marginibus interioribus harum fasciarum pone oculos pæne parallelis et inæqualiter albo-limbatis; etiam in margine exteriore, posterius, albo-limbatae sunt hæ fasciæ. Interstitium sub-testaceum (iis multo latius) in medio duas lineolas longitudinales fuscas sive fasciam parvam geminatam fuscam ostendit; punctis nonnullis nigricantibus, setas nigras gerentibus sparsum est, circa quat-

tuor secundum medium et serie quaternorum secundum margines fasciarum. Area oculorum infuscata lineolam longitudinalem pallidam inter oculos ostendit. Tubercula oculorum lateralium alba sunt, clypeus quoque ad maximam partem albus. *Sternum* albicanti-testaceum. *Partes oris* sub-testaceæ, mandibulæ præsertim in latere exteriore nigrae vel nigro-variatae. *Palpi* pallide testacei, paullo nigro-annulati. *Pedes* pallide testacei quoque; in anterioribus pedibus femora sat dense rubro-maculata sunt, tibiæ apice late et basi angustius nigrae, metatarsi apice anguste nigri et præterea, ut tibiæ, sub-rubro-maculati. Pedes posteriores paullo rubro-maculati et -sub-annulati sunt, metatarsis apice anguste nigris. *Abdomen* supra cinerascenti-testaceum, maculis et punctis nigro-fuscis et albis variatum: latera dorsi inæqualiter et satis anguste alba sunt; antice, ad basin, maculæ nigro-fuscaæ fascias duas longitudinales inæquales postice abbreviatas pene parallelas formant, et paullo pone medium plagas sive maculas magnas duas transversas obliquas inæquales; spatium inter has fascias et maculas, quæ trapezium magnum fere duplo latius postice quam antice formant, punctis et maculis parvis albis et nigro-fuscis conspersum est; postice dorsum lineolas paucas transversas e maculis parvis lineolisque nigro-fuscis et albis compositas ostendit. Latera abdominis albicanti- et fusco-variata sunt; venter cincereo-testaceus. Area vulvæ postice in formam fasciæ procurvæ ferruginea est. *Mamillæ* fusco-testaceæ. Aculei et setæ cephalothoracis, abdominis et extremitatum nigra.

Lg. corp. paullo plus  $3\frac{1}{2}$ ; lg. et lat. cephaloth. circa  $1\frac{4}{5}$ , lat. clyp. circa 1; lg. abd.  $2\frac{1}{2}$ , lat. ej. fere  $2\frac{1}{3}$  millim. Ped. I circa  $5\frac{1}{2}$ , II  $5\frac{2}{3}$ , III ?, IV circa  $4\frac{3}{4}$ ; pat. + tib. IV  $1\frac{1}{2}$  millim.

Femina singula adulta. — A formis magis typicis generis *Philodamiae* differt hæc species ipso dorso ad longitudinem pene recto, area oculorum mediorum parum latoire antice quam longiore, et oculis mediis anticis modo paullo longius inter se quam a lateralibus anticis remotis; a gen. *Ocyollo*

igitur vix nisi area oculorum mediorum latiore antice quam postice, et oculis mediis anticis minoribus quam mediis posticis et non longius a lateralibus anticis quam inter se remotis differt.

Gen. SYNAEMA, Sim., 1864.

10. *S. lineatum*, n., *cephalothorace luteo-ferrugineo, sterno virescente; palpis pedibusque luteis, tibiis et metatarsis anteriores apice late nigris; abdomine luteo-flavo, maculis duabus nigris anticis et lineis transversis 5 longis nigris supra ornato, quarum linearum prima, in medio dorso sita, paullo flexuosa est, reliqua recurvæ, ultima recta excepta: anterioribus harum 5 linearum antice albo-limbatis, interstitiis inter posteriores albocantibus.* — ♀ ad. *Long. circa 5  $\frac{1}{4}$  millim.*

FEMINA. — *Cephalothorax* tibiam cum patella 1.<sup>i</sup> paris longitudine æquat, parum longior quam latior, utrinque antice parum sinuatus, lateribus partis thoracicae modice rotundatis, partis cephalicæ pæne rectis anteriora versus modo paullo angustatus; frons leviter rotundata ut clypeus lata est, circa  $\frac{3}{4}$ , partis thoracicae latitudine æquans. Satis altus est cephalothorax, a latere visus ante declivitatem posticam usque ad oculos medios posticos modice et æqualiter convexus sed vix proclivis, inter oculos sat fortiter proclivis et paullo convexus, clypeo directo; spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos circa dimidio minus est quam spatia quibus oculi medii antici a mediis posticis distant. Lævis est cephalothorax, impressionibus cephalicis et sulco centrali carens, pilis et setis longis conspersus. Area oculorum magna, totam frontis latitudinem occupans. Oculi laterales antici mediocres, mediis anticis fere duplo majores; oculi postici parvi et pæne æquali magnitudine sunt, mediis anticis paullo minores. Series oculorum duæ, quarum postica saltem dupla oculi lateralis antici dia-

metro longior est quam antica, pæne parallelæ sunt, extremitatibus parum inter se appropinquantes. Series antica recte a fronte visa sat leviter sursum est curvata: linea recta margines inferiores oculorum lateralium tangens medios vix tangit, saltem non secat. Series postica desuper visa modice recurva est. Area oculorum mediorum etiam antice paullo latior est quam longior, paullo latior postice quam antice. Oculi bini laterales, costæ communi latae sed non altæ impositi, spatio separati sunt quod oculi maximi diametrum pæne triplo est majus et pæne æque magnum ac spatia quibus distant oculi medii antici a mediis posticis. Oculi medii antici spatiis æqualibus, eorum dimetro plus triplo majoribus, inter se et a lateralibus anticis sunt remoti; oculi seriei posticæ ii quoque spatiis æqualibus sed etiam majoribus separati sunt. *Sternum* triangulo-ovatum, antice late truncatum, postice non inter coxas 4.<sup>i</sup> paris, quæ spatio sat parvo sejunctæ sunt, productum.

*Mandibulae* fortes, sub-conicæ, circa dimidio longiores quam latiores, femora antica latitudine pæne æquantes. *Pedes* sat robusti, sat breves (2.<sup>i</sup> paris cephalothorace non triplo longiores), sat dense pilosi et aculeis sat gracilibus armati; in pedibus 1.<sup>i</sup> paris, e. gr., femora circa 8 aculeis longis munita sunt, tibiæ aculeos 2. 2. 2. subter et 1. utrinque, versus apicem situm, habent, et metatarsi subter 2. 2. 2. aculeos et utrinque 1. 1. *Abdomen* (in nostro exemplo paullo corrugato) paullo longius quam latius est, breviter orbiculato-ovatum fere. *Vulva* ex impressione sive fovea levi sat magna fusca constat, quæ laminam postice rotundatam, pæne circulatam, nitidam, pallidam continet.

*Color.* — *Cephalothorax* luteo-ferrugineus, clypeo paullo clariore, tuberculis oculorum lateralium albicantibus. *Sternum* pallide virescens. *Mandibulae* ferrugineo-luteæ, apice pallidiores; *maxillæ*, *labium* et *palpi* lutea. *Pedes*, pallido- et, ad partem, nigro-pilosi, lutei ii quoque sunt; in pedibus anterioribus tibiæ apice late et metatarsi apice latissime nigri sunt. Aculei nigri vel pallidi. *Abdomen* luteo-flavum, supra transversim ni-

gro- (et albicanti-) lineatum et pilis sat raris nigris sparsum: non parum pone marginem anticum maculas duas parvas nigras, saltem æque longe inter se atque a marginibus dorsi remotas ostendit, pone eas vero, in medio dorso, lineam longam transversam in medio paullo angulatim retro fractam ibique sub-abruptam; pone eam, postice, sequuntur lineaæ tres transversæ nigræ retro curvatae, quarum duæ anteriores utrinque (apicibus) in maculam nigram ad marginem dorsi sitam dilatatae sunt: inter apices tertiae linea transversa recta extensa conspicitur. Duæ primæ harum quinque linearum antice albicanti-limbatae sunt; spatia inter sequentes albicantia videntur. Utrinque apud anum punctum nigrum adest. Venter sub-luteus; *mamillæ* pallide fuscæ.

Lg. corp.  $5 \frac{1}{4}$ ; lg. cephaloth.  $2 \frac{1}{2}$ , lat. ej. pæne  $2 \frac{1}{2}$ , lat. clyp. circa  $1 \frac{1}{2}$ ; lg. abd.  $3 \frac{1}{3}$ , lat. ej. 3 millim. Ped. I 7, II  $7 \frac{1}{2}$ , III  $4 \frac{2}{3}$ , IV pæne 5; pat. + tib. IV circa  $1 \frac{3}{4}$  millim.

Feminam singulam pulchiræ hujus speciei vidi.

Montpellier, Calendis Martiis, 1894.